

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

VI. Disputatio De Sacramento Ordinis dicto

**Andreä, Jacob
Bogner, Christoph**

Tubingae, 1574

[urn:nbn:de:bsz:31-128878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128878)



60A 2690 R

Sum
M. Caroli.

VI. DISPVTATIO
DE SACRAMENTO OR-
dinis dicto.

*Opt. Max. Deo Patre Saluatoris nostri
Iesu Christi, Spiritu suo sancto iuuante:*

P R A E S I D E
REVERENDO ET CLARISSIMO
VIRO, IACOBO ANDREÆ, SA-
CROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORE ET
professore eximio, Ecclesiae & Academiae Tubingen-
sis Praeposito & Cancellario dignissimo, praepatore
suo omni obseruantia colendo, M. CHRISTOPHO-
RVS BOGNER, ex veteri Ottinga Bauariae,
ad subsequentes conclusiones pridie Nonas
Iunias, hora & loco consuetis, discen-
di animo respondere
conabitur.



T V B I N G A E
M. D. LXXIIII.

VI. DISPVTATIO

DE SACRAMENTORUM

DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA

DE SACRAMENTORUM DIFFERENTIA



LEONARDUS

LEONARDUS

21

V

D



1.

tio,

cestra

adm

2.

diu

3.

ctos

ma

ca

tes.

4.

Ecc

do

me

5.

vo

Pro

VI. DISPUTATIO DE SACRAMENTO OR- DINIS DICTO.



Exto loco cum Pontificij inter sacramen-
ta Ecclesiasticum ministerium numeret,
quod Sacramentum Ordinis appellant,
de eo quid piè sentiendum & credendū
sit paucis conclusionibus docebimus.

CONCLUSIO

1. Est autem Ecclesiæ ministerium diuina ordina-
tio, qua certis, & ad eam rem delectis personis pos-
testas committitur publicè docendi verbum Dei &
administrandi Sacramenta.
2. Ex quo patet, non esse humanum inuētum, sed
diuinam institutionem humano generi necessariam.
3. Etsi enim Deus sine verbo & Sacramentis ele-
ctos docere, & in fide per Spiritum sanctum confir-
mare potest: tamen placuit sapientiæ Dei, per prædi-
cationem stultam crucis Christi saluos facere creden-
tes. *1. Cor. 1.*
4. Sunt autem duæ potissimum partes ministerij
Ecclesiastici, videlicet, prædicatio verbi Dei, hoc est,
doctrinæ Legis & Euangelij, & administratio Sacra-
mentorum.
5. Hæc nemo sibi priuata autoritate sumere, sed
uocationem legitimam expectare debet, iuxta illud *Iere. 23.*
Prophetæ: Currebant, & non misi eos.

A 2 6 Hinc

6. Hinc D. Paulus passim in suis Epistolis vocatio-
nem suam magnifice prædicat, non tam auditoribus,
quam ipsis doctoribus necessariam.

7. Plenum enim est periculorum ministeriū Ec-
clesiasticum, si officium suum fideliter facere doctores
res contendant, quorū consolatio omnis in vocatio-
nis certitudine consistit.

8. Et populus legitime vocatis, & purè verbum
Dei prædicantibus, tanquam doctoribus à Deo missis,
Ebr. 43 lubens paret, sicut scriptum est: Obedite præpositis
vestris, & subiaccete eis. Ipsi enim vigilant pro anima-
bus vestris.

9. Ad quos autem vocationis ius pertineat, cum
controversatur, operæ precium est cognoscere.

10. Non enim immediatè Deus semper ordinari-
os Ecclesiæ ministros vocat, quæ Prophetarum & Ap-
ostolorū vocatio propria est, quam cum paucis He-
roibus communem habent.

11. Ad ordinariam ergò & mediatam vocationem
respicendum est pijs, sine qua ministerium infelix
est.

12. Eius verò nō vna & per omnia similis iam in-
de à temporibus Apostolorum observata est ratio.

13. Quæ tamen non adeò diuersa est, quin, quoad
substantiam rei, maxime concurrat.

14. Aliàs enim ab Episcopis constitutos esse mi-
nistros Ecclesiæ, aliàs verò à populo, aliàs à magistratibus
tu vocatos legimus.

Tit. 1. 15. Sic D. Paulus Titum oppidatim constituere
Episcopos in insula Creta iubet.

Sacramento Ordinis.

16. Sed dum eorum virtutes describit, non ita soli Tito tribuit omnem potestatem, vt ei pro arbitrio agere liceat.

17. Dum enim, iuxta Apostoli admonitionem, eorum vitam & mores examinat, quos Ecclesijs præficiendos censet, piorum in Ecclesia iudicio & testimonio non parum tribuit, quorum testimonio Doctores & pastores admittebantur.

18. Et cum in locū Iudæ Matthias vocandus esset, *Act. 1.* non sine votis Ecclesiæ ipsi Apostoli electionem per egerunt, sed sortibus datis, iudicio Dei, quo electio regebatur, rem diuinam suis precibus commendarunt.

16. Hunc postea morē posteritas secuta, Episcopos & ministros vniuersa Ecclesia in singulis prouincijs & locis, suis votis vocauit.

20. Sic D. Ambrosius, vir consularis, & ad huc catechumenus existens, Mediolani, post mortem Auxentij, cum in populo grauis dissensio de successore exorta esset, vna voce populi Episcopus electus est. *Ruff. lib. 2 capite 11.*

21. Eadem consuetudo tempore Cypriani quoque retenta est, quo teste, Episcopus in defuncti locum, substituebatur, quando vniuersi populi suffragio eligebatur. *Cypr. lib. 1. Epistola 3.*

22. Plebs enim (vt idem Cyprianus affirmat) *Idem Episcopus* obsequens præceptis dominicis & Deum metuens, a *stola 4.* peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacris legi sacerdotis sacrificia miscere: quando ipsa maxime habet potestatem, vel eligendi sacerdotes, vel indignos recusandi.

Disputatio de

23. Cum autem vulgus imperitū propter iudicij imbecillitatem, & quod interdum affectibus magis indulgeret, nunc illum, nunc alium, & interdū valde imperitos, & ad hoc sublime officium minime idoneos eligeret: electio ad cuiusq; loci magistratum abiit, qui vniuersam plebem in alijs politicis quoq; potestate ipsis delata, repræsentat.

24. Cuius autoritas tamen in vocandis ministris sic limitata est, vt iudicium de doctrina & profectu studiorum Ecclesiæ ministris potissimum deferatur.

*Dist. 64. ca.
Episcopi.* 25. Quod quidem ex Nicæni concilij decreto etiā confirmatum fuit, vbi præcipitur, vt Episcopi ab omnibus, qui in prouincia sua sunt, ordinari debeant. Si verò hoc difficile fuerit vel vrgente necessitate vel itineris longitudine, tres Episcopi debent in vnum congregari, &c.

26. Rectissimè ergo fit, & regula Apostolica seruatur, cum in eo, quod ad vniuersam Ecclesiam attinet singuli ordines in electione nouorum ministrorum Ecclesiæ suum officium faciunt.

27. Id autem tum impletur maximè, cum populus de vitæ & morū innocentia testificatur, Episcopi cum fratribus de doctrina & donis necessarijs, quæ ad ministeriū requiruntur, diligenter & accurate inquirunt, & magistratus sua autoritate vtrunq; gubernat & adiuuat, vt omnia legitimè gerantur.

28. Tyrannidè ergo existimamus esse, & Apostolici ordinis perturbationem, si ius vocandi sibi ita vnus rapiat, vt Ecclesiam ab eo excludat.

29. Etsi verò gradus quæ plurimi in Ecclesiam inuecti

Sacramento Ordinis.

inuecti sunt, quibus inter sese ministri discernantur, quales sunt vulgò numerati Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, quibus alij duos, Tonsuram scilicet Clericalem & Episcopatum, alij exclusa tonsura Archiepiscopatum Ordinibus annumerant.

30. Non tamen, Apostolicam doctrinam sequentes eos ordines tanquã necessarios agnoscimus, quos nobis Apostolicæ literæ commendarunt, videlicet Presbyteros, Doctores, & Pastores.

31. Quod enim ad Diaconos attinet, hos non doctrinæ aut sacramentorũ administrationi potissimũ, sed dispensationi bonorũ Ecclesiæ præfuisse legimus.

32. Et minores ordines, sine quibus ad superiores aditus Sacrificulæ non patet, primitiæ Ecclesiæ ignotos fuisse, fateri necesse est.

33. Adeoq; ridiculi magis sunt, dum sine verbo Dei Ostiarijs claves, Lectoribus librum, Exorcistis formulas exorcismorum, Acolytis cereos & vrceolum tanquam ceremonias tradunt, quibus arcana virtus Spiritus sancti adesse dicitur, quo nomine Sacramenti nomen mereantur.

34. Presbyterium verò aut sacerdotium in Ecclesia nequaquam agnoscimus, quod illi tanquam supremum gradum dignitatis sacerdotalis consecrant.

35. Nequaquam enim Christus sacerdotes consecrauit, qui pro peccatis viuorum & mortuorum corpus & sanguinem ipsius offerant.

36. Quod neq; Apostolos fecisse, neq; tales successores elegisse aut consecrasse legimus.

37. Vni

Disputatio de

37. Vniuersum enim sacerdotum genus præter Christi sacerdotium æternum (quod personam illius non egreditur, etsi virtus eius omnibus credentibus applicatur) ad vetus Testamentum relegamus, iuxta illud Apostoli: Omnis Pontifex ad offerenda munera & hostias constituitur.

38. Postquam verò Christus semel seipsum pro peccatis totius mundi obtulit, & ad dexteram throni maiestatis in cœlestibus confedit, omnes Christianos verè fideles, quos D. Petrus regale sacerdotium appellat, sacerdotes constituit, qui gratiarum actionem & se ipsos Deo semper, & donaria membris eius in terris dispersis offerunt.

39. In his donis Deo offerendis cum Ecclesiarum ministri fidelium os essent, sacerdotum quoque nomen consecuti sunt, memoriã sacrificij in administratione cœnæ simul celebrantes.

40. Quemadmodum igitur summa sacrificij Christi contumelia est, si quis hostiam reconciliationis offerre conetur: sic sine contumelia eiusdem nemo se ipsum sacerdotem appellare potest, qui se in hoc consecratum affirmat, vt pro peccatis viuorum & mortuorum ad Deum placandum corpus & sanguinem Christi denuò offerat.

41. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur, æterna redemptione reperta.

42. Presbyteros autem eos agnoscimus, qui in sermone & doctrina præsumt Ecclesiæ, de quibus Apostolus: Qui benè præsumt presbyteri, duplici honore digni

Sacramento Ordinis.

digni habeantur, maximè qui laborant in sermone & doctrina.

43. Quod nomen, vt rectè Syricius, quamuis à *Dist. 84. Ca.* senectute sit desumptum, magis tamen maturitatem *Quisquis* indicat sapientiæ, quam canitiem corporis.

44. Quod verò ad externam cæremoniam atinet, impositionem videlicet manuum, qua Apostolos vltos legimus, quibus munus docendi & curam Ecclesiæ commendarunt, eandem quoq; in nostris Ecclesijs retinemus, & religiosè conseruamus.

45. Ad ea cum vota & preces Ecclesiæ accedunt, non dubitamus, diuina benignitate etiam dona Spiritus sancti in Ecclesiarum doctoribus augeri.

46. Oleum autem consecrationis, quo charactere indelebilem sese sacrificulis imprimere asserunt, tanquam humanum, Apostolico testimonio carens, reijcimus & damnamus.

47. Quod enim de Aaronis sacerdotio afferunt & sacerdotibus oleo vinctis, id vniuersum post sacrificium Christi, tanquam pars Mosaicarum Cæremoniæ abrogatum est.

48. Diaconos quoq; & subdiaconos eos tantum agnoscimus, qui aut ministerium Euangelij, & Sacramentorum administrationem adiuuant, aut pauperum curam sibi ab Ecclesia demandatam, iuxta Apostolicam doctrinam sustinent.

49. Ministros verò Ecclesijs præficiendos esse censemus, qui dignè possunt sacra tractare, necessarijs donis, videlicet sacrarum literarum cognitione, & ars *1. Tim. 3.* tibus dicendi ac docendi instructos, qui & docere possunt *Tit. 1.*

B sint,

Disputatio de

sint, & exhortari per doctrinam sanam, ac contradicentes conuincere.

50. Nec ab Ecclesiae ministerio repellendus est, qui matrimonij vinculo vxori obligatus est.

1. Tim. 3.
Tit. 1.

51. Exigit enim Apostolus, vt Episcopus sit vnus vxoris vir, qui liberos habeat in subiectione cum omni reuerentia.

1. Tim. 3.

52. Domesticae enim Ecclesiae administratio haud obscurum argumentum praebet, cui nam tuto Ecclesia publica committenda sit, Apostolo teste, cum inquit: Si quis propriae domui praesse non nouit, quomodo Ecclesiam Dei curabit?

Gratianus
Dist. 26. Ca.
Acutius: Ca.
Vna. Dist. 82.
ca. proposuisti.

53. Pueriles vero, & grauitate Theologica indigne sunt rationes, quibus bigamum, hoc est, eum qui post mortem defunctae vxoris aliam ducit, ab officio Ecclesiastico arcent. 1. videlicet, propter defectum Sacramenti, quia non sit ibi Sacramentum vnitatis, cum carnem suam diuiserit. 2. propter praerogatiuam Sacramentorum. 3. propter signum incontinentiae, quod de vna transuerit ad aliam. 4. ex eo quod non habeat frontem exhortandi ad viduitatem.

Gal. 3.

54. In Christo enim omnes vnum sumus, siue tres, siue quatuor, siue vnam tantum per mortem sibi succedentes habuerit vxores maritus.

55. Nec Sacramenta secum pugnant, vt vnus non vnus alterius priuationem inducat.

1. Cor. 7.

56. Et propter incontinentiam Apostolus hortatur, vt quisque suam propriam vxorem habeat, siue sit prima, siue secunda, siue tertia: idque sine vlla discretionem officij aut vocationis.

57. Ad

Sacramento Ordinis.

57. Ad viduitatem verò adeò non ex sententiã Papistarum hortatur, vt velit iuniores nubere, do-
mum administrare, & liberos gignere. *1. Tim. 5.*

58. Dẽmoniorum autem doctrinam esse non dubitamus, in Deum & ordinationem ipsius blasphemiam, qua Gratianus in decreto suo nuptias Sacerdotum damnat, vbi coniugium Sacerdotum & procreatio liberorum crimen dicitur, ideòque ad sacraminimè admittendos vxoratos censet, Quia scriptum sit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum: *Leuit. 20.*
Item: Qui sunt in carne, Deo placere non possunt. *Rom. 8.*

59. Eiusdem impietatis est, quod idem Gratianus ex Innocentio refert: Cum ipsi (Sacerdotes inquit) templum & vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse, & dici, indignum eos est cubilibus & lasciujs deseruire.

60. Est enim vera sanctitas & castitas quoque in coniugio, sicut Paphnutius rectè dixit: Castitatem esse cum propria coniuge concubitum, quam sententiã vt piã & sanctã vniuersum concilium Nicænum approbavit, & impium decretum de coelibatu Sacerdotum suspendit, quo orbis terrarum nefandis libidinibus est repletus. *Distinct. 31. ca. Nicæna Synodus.*

61. Et Diabolica vox est, eos in carne viuere, qui in coniugio viuunt.

62. In carne enim viuere, est contra Dei mandatum & præceptum, cupiditatibus carnis indulgere, non diuinæ ordinationi parère.

B 2 63. Quod

Disputatio de

63. Quod decretum cum Tridentinum Concilium confirmauerit, non Spiritu sancto, sed maligno & veritatis hoste gubernatum esse, tanquam certissima & infallibili nota demonstratur.

64. Quod verò ad iurisdictionem Ecclesiasticam attinet, ea maior non est, nec alia, quam potestas prædicandi verbi Dei, & administrandi Sacramenta.

65. Hæc plenissima etiam infirmis pastoribus tribuitur, ut pœnitentes ab omnibus peccatis absoluant, nullo prorsus casu reseruato.

66. Et abusus est ac prophanatio potestatis Ecclesiasticæ, quòd Romanus Pontifex sibi potestatem sine verbo Dei sumens, pro arbitrio in Reges, Principes & subditos excommunicationis fulmen emisit.

Matth. 18. 67. Est enim excommunicatio non vnius personæ officium, sed ad vniuersam Ecclesiam pertinet, sicut scriptum est: Dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit &c. quod dum vnus sibi vendicat, Ecclesiam suo iure spoliât, & Tyrannidem in Ecclesia exercet.

1. Tim. 5. 68. Et si verò omni honore & reuerentiâ dignum est Ecclesiasticum ministerium, sicut Apostolus monet, duplici honore dignos esse, qui benè præsent in sermone & doctrina.

69. Non tamen inter Sacramenta numerandum est, quæ pijs omnibus ex æquo promissiones Euangelij obsignant.

70. Sacramenta enim & eorum vsus Ecclesiæ cum eorum ministris sunt communia.

71. Cum igitur cæremonia impositionis manuum ad ministros tantum pertineat, qua illis ministerium

Sacramento Ordinis.

sterium Ecclesiae cum inuocatione nominis Dei committitur: Sacramenti quidem nomine dignamur ipsam actionem & ritum, sed generali ratione vocabuli obseruata, qua rem sacram non sine collatione donorum Spiritus sancti peragi affirmamus.

72. Stipendia quoque honesta ad usus necessarios, & hospitalitatem erga pauperes exercendam, ministris Ecclesiae deberi, certum est.

73. Etsi enim Christus dixit: Gratis accepistis, gratis date: Idem tamen vicissim dixit: Dignus operarius mercede sua. *Matth. 10.*

74. Voluit autem & doctores & auditores officij sui commonefacere, ne illi quaestum faciant ex Euangelio, sicut Simon magus cogitabat: aut hi fame enecent suos doctores.

75. Et raptores ac dissipatores bonorum Ecclesiarum tanquam sacrilegos & impios, poenas daturos, certum est.

76. Quae enim semel Deo dicata sunt, Ecclesiae ministerio praecipue debentur: Caetera vsui pauperum & communibus necessitatibus, non voluptatibus & luxui seruire debent.

77. Adeo autem Deo rapina bonorum Ecclesiarum displicuit, ut quae Idolis oblata essent, noluerit humana audacia, etiam apud Gentiles prophasari, sed eos miseros omnes declarauit, qui Tolosanum aurum attigerant.

78. Cum enim veros Deos Idola sua esse reputarent, sibi tanquam vero Deo hanc contumeliam factam iuste puniuit, qui idola abominatur.

B. 3 79. Quis

Disputatio de Sacramento Ordinis.

79. Quisquis igitur siue magistratus siue subditus benedictionem domesticam habere & retinere cupit : à rapina bonorum Ecclesiæ absteat , quæ nulla, neq; diuina, neq; humana, neq; Cæsarea, neq; Ecclesiastica lege concessa est.

FINIS.



rdinis.

us sine fidele
re & retine
stinas, que
ney Co



VI

P

RE

SIMC

Theol

lingen

colenda

ti

T



